



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Ordinandi vel ordinati in Ecclesiasticis dignitatibus multipliciter offendere
possunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

436 Ordinantiū & ordinand.

qui ex proposito loquitur sine attentione, irreuerentia autem peccatum est. Et hoc intellige loquendo de oratione per se, vt oratio est, nam si quis oratione vt exercitatione quadam aut quasi cantico delectabili vtatur, ne se occupet vanis, non intendens attendere, sed tempus sic pertransire, benefacit: & non proprie & formaliter orat, nisi extenso orationis nomine: quod dicit, semper orat qui semper benefacit. Sed materialiter tantum orat pro quanto orationis verba pro materia suæ occupationis piæ assumit.

Ordinandi vel ordinati in Ecclesiasticis dignitatibus multipliciter offendere possunt.

Ordinantium & ordinandorum peccata tot contingit esse quot necessaria contingit omitti voluntariè aut negligenter. Sed quoniam hæc in pontificalibus habentur, attendendum est confessori si ordinanter seruarunt ritum pontificalis. Et quoniam pontificalia non concordant adinuicem, nullius Ecclesiæ antiquum in vsu pontificale damnandum videtur: ac per hoc non videtur iterandum aut supplendum alicubi, quod fortè, secundum aliud pontificale iterandum, aut supplendum esset. Et de eorum numero videtur esse contractus materiae vbi diuersa pontificalia antiqua & in vsu, diuersa ordinant. Propter quod in Concil. Flor. sub Eugen. iiii. quum traditur materia ordinis, nunquam fit mentio de tactu ipsius, sed solum de actu tenente ex parte ministri: scilicet porrectione, datione, traditione & assignatione. Attendendum quoque est si ordinantes admiserunt indignos aut inhibitos, si non contulerunt gratis. Et similiter si ordinandi sunt indigni ex parte intellectus, quia ignorantes: ex parte affectus, quia mali, puta in peccato mortali: ex parte ætatis statutæ à iure ex par-